



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,  
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Paderbornæ, 1711**

Decas X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

se credet impetitur. Evenire hujusmodi, quod vesperilionibus, solet: avium muriumque induti formam ab utrisque patiuntur. Ità & illi fugiendo discrimen, incurrunt. Quanquam neque ipsum periculum vincere expers est periculi. Felix malum, in quod virtuosus incurrit! neque ulla est tanta felicitas, quam non infestent mortalium quærelæ.

90. Crudelitati multa cum inhonestate societas est. Mens humana habitare non solet in domo subdita affectibus ferinis.

*DECAS X.*

91. Luxum vestium optimè dixeris inscriptionem vanitatis. Insipiens est, qui facit impensas, ut vanus censeatur: se depauperat, ut credatur dives.

92. Duobus malis subjacet ambitio: redditur odiosa, & fit infelix. Rarò evenit prosperè, si quis contendit Domino suo æquari.

93. Admodum pretiosa rarò profunt possessori, & quod multis arridet, ægre potest retineri.

94. Cum arte solet punire Justitia Divina: æquat pœnam culpæ, & per ipsa peccati

cati instrumenta corripit delinquentem. Prudentiorum observatio est, illos, qui in juventute damnandâ licentiâ Ligatas depravant, deinceps talionem experiri in suis, & vel successione destitui, vel pessimâ & non victurâ prole castigari.

95. Interitum Regnorum non tam efficit copia criminum, quàm impunitas delinquentiû: quando scilicet neglectâ justitiâ viget consuetudo peccandi, & ipse magistratus peccat non puniendo, complex criminis, & reus omissionis.

96. Minus officit immodicus rigor, quàm nimia remissio; neque tyrannis tam nociva est, uti projecta licentia. Ubi Magistratus non advertit in scelera populi, ibi Deus castigat: populum & Magistratû. Indulgendo namq; nocentibus injuriantur probi, & non punivisse crimina approbasse est. Severitas enim proxima est bono justitiæ.

97. Reverentia Legum, & respectus Superiorum Palladium est Reipublicæ: huic innititur ejus securitas. Augurare Regni interitum, ubi videris Magistratû contemni, Ibi enim neque legibus vis est, neque

neque honor imperatis, neque authoritas imperanti.

98. Magistratus si auro comparari possunt, possunt & auro annihilari. Si venales sint honores publici, non qui meruerit, sed qui ditior fuerit, obtinebit. Ità quisque per mille iniustitiæ vias nummos congeret, aditurus Magistratum tantò indignior, quantò nummosior.

99. Vulgus medium non tenet: aut nimium res attollit, aut nimium deprimit. Habent hoc viliores animæ, facile exerant, & medio, ubi virtus est, nequeunt consistere.

100. Voluntate plebis nihil instabilius, sed & fortius nihil: nam quisque multitudinem sequitur, & si quid illa affirmat, Ratio locum non habet: instar torrentis non pergit, sed rapit omnia. Si passio desit, vox populi vox Dei est; ubi passio adfuerit, vox populi vox diaboli est. Passionis ductum sequuntur plurimi, Rationis pauci.